



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 18. Lutheri epistola ad Erasmus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Post hæc Franciscus I. Galliarum Rex bi-  
na vice eum, ut in Francia Sedem figeret,  
rogari fecit, eundemque promissorum am-  
plitudine sollicitavit tam beneficia quam  
pensiones offerens: Verum eo proficisci  
noluit Erasmus absque consensu Princi-  
pis sui, cujus imperio obnoxius erat, a  
quo cum abeundi licentiam ægre spera-  
re posset, Consilarii dignitatem, quæ  
eum Caroli Austriaci obsequio adstrictum  
tenebat, dimisit. Porro eidem creditum  
est regimen Collegii Lovaniensis, quod  
Franciscus Basileidem Bisuntinus Archi-  
episcopus condidit, anno millesimo quin-  
gentesimo secundo vigesima tertia Julii  
Toleti fatis functus: Cum igitur in præ-  
fato Collegio trium linguarum studium  
floreret, Erasmus pro lingua Hebraica  
quemdam Medicum nomine Adrianum,  
Religione Judæum, pro Græco autem i-  
diomate Agathiam, ac denique pro lati-  
no Gerardum Coclenium nominabat.

## §. XVIII.

*Lutheri epistola ad Erasmum.*

Hac ratione Erasmus sibi præter mu-  
neris sui dignitatem tantam quoque  
nominis famam conciliabat, ut Lutherus  
suam factionem plurimum auctoritate au-  
geri crederet, si tantæ existimationis Vi-  
rum omni laude dignissimum ad suas par-  
tes pertrahere posset. Hinc præprimis  
Melanch-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1519.

31. 4. 1519

4. 9. 1519

Sæc XVI.  
A.C. 1519.

epist. 4. l. 6.

Melanchtonem induxit, ut ipsum datis ad  
Erasmum literis commendaret; quod i-  
psum etiam præstitit Melanchton Mense  
Januario Anni supra millesimum quingen-  
tesimi decimi noni: cum autem hæc e-  
pistola successu careret, ipse Lutherus se-  
quentem ad Erasmum epistolam dedit.  
*Salutem tibi, toties ego tecum fabulor, & tu  
mecum Erasme decus nostrum, & spes nostra,  
neccum mutuo nos cognoscimus, si tamen ita  
tibi visum fuerit, agnosce & hunc fratercu-  
lum in Christo tui certe & studiosissimum &  
amantissimum, qui de cetero pro inscitia sua  
nihil meretur, quam ut in angulo sepultus,  
communi & cælo & soli ignotus esset.*

§. XIX.

*Responsum Erasmi ad Lutherum.*

l. 6. ep. 4.

Huic epistolæ Erasmus humanis admo-  
dum verbis respondit, atque huic Hæ-  
resiarchæ saluberrima juxta ac prudentis-  
sima dedit consilia, dummodo ea sequi vo-  
lisset; inter alia eundem hisce verbis  
admonuit: *Mihi videtur plus profici civili  
modestia, quam impetu. Sic Christus Orbem  
in suam ditionem perduxit, magis expedit  
clamare in eos, qui Pontificum auctoritate  
abutuntur, quam in ipsos Pontifices. Idem  
de Regibus faciendum censeo, ubique caven-  
dum, ne quid arroganter, aut factiose loqua-  
mur, faciamusque. Interea servandus ani-  
mus, ne vel ira, vel odio vel gloria corrup-  
patur;*